



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

15. Ex libero in effici actu divinæ voluntatis oppugnatur sententia
adversariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

ad introductionem formæ positivæ, Tum quia ipsi assentunt, negationem, sicut non est primario ens, hoc est primario non datur à parte rei non posse primario esse bonam & amabilem; ac proinde non posse primario a mari, & produci. Tum denique quia nemo intendens ad malum operatur; atqui privatio est malum: ergo non potest Deus intendens primario privationem ponere illam in subiecto, sed ex alio capite nullam introducit positivam formam Deus in possibilibus: ergo nullam privationem in ipsis introducit.

273 Confirmatur evidentius, quia in effectibus præsentim moralibus, potest Deus multa libere velle, quæ non faciunt in rebus specialem mutationem physicam realem: ergo non est illa necessaria ad actum liberum rei. Antecedens sic probatur, quia Deus potest transferre dominium alicuius rei, quod habet aliqua persona in aliam &c. ut supra late probatum manet: ergo.

274 Declaratur; quia sine dubio potest Deus primam gloriam dare propter primum actum constitutionis supernaturalis, non solum titulo hereditatis debita filio per gratiam, sed etiam titulo mercedis debita operi, at vero si Deus voluerit utrumque titulum, sive alterum tantum nihil reale additur, vel affertur: ergo decretum liberum potest fieri sine aliqua mutatione intrinseca in creatura.

275 Dices, productionem gloriæ primæ fore realiter distinctam, si daretur gloria titulo mercedis, aut si daretur titulo hereditatis, vel si daretur utroque titulo simul, absolute enim dicunt adversari, transientes actiones Dei, etiam si terminentur ad eisdem prorsus effectus, esse realiter distinctas per ordines reales ad diversos fines intentos à Deo.

276 Sed contra; quia si præsupponetur intra Deum in creata intentio distincta, fortassis in ordine ad illam aliqua probabilitas suaderet, esse distinctam productionem primæ gloriæ; cæterum quia non supponitur intra Deum hæc intentio determinata, & completa per vos, sed completur, ac determinatur per transientem productionem gloriæ non potest esse distincta productio, quia distinctionem realem acciperet per ordinem realem ad seipsam. Etenim productionis ordo ad totum, quod est realiter intra Deum, & in eius volitione secundum hanc sententiam non potest esse distinctus, quia totum est indifferens ad quaslibet intentiones diversorum finium, ideoque distinctio realis in ordine ad diversas intentiones accipi non potest, nisi in ordine ad diversas productiones constitutivas diversarum intentionum, involvitur ergo contradictio inter hanc solutionem, & principia huius sententiæ.

277 Deinde ex prædicta sententiâ sequeretur, quemlibet prædestinatum ab instanti conceptionis habere realem formalitatem propriam prædestinationis, & entitative supernaturalem, quamvis neque baptismum neque fidem suscepisset, sed multis criminibus teneretur; unde prædestinatio poneret aliquid in prædestinato, poneret enim actionem Dei creantis animam, quæ actio realiter, & entitative distingueretur à creatione cæterarum animarum per intentionem efficacem dandi gratiam, & gloriam.

Tandem refutatur hæc solutio supponendo, quosdam esse fines intrinsecos, ad quos unusquisque rei natura destinatur; ij autem non possunt esse diversi sine reali diversitate rerum quæ destinantur ad illos, quare de finibus intrinsecis non agitur in presenti, sed de finibus extrinsecis,

quos ab invicem potest agens liberum separare, quemadmodum ignis potest accendi ad comburendum, vel ad illuminandum, vel ad coquendum quo supposito, nullo fundamento nititur distinctio realis inter productiones ignis, ex eo quod destinantur ad distinctos fines extrinsecos, & separabiles ad invicem similiterque productio gloriæ non erit realiter distincta ex eo quod destinatur ad distinctos fines separabiles ad invicem, videlicet dandi hereditatem filio, vel reddendi mercedem operario; clarius deprehenditur falsitas istius solutionis, quando Deus vult non producere, ut supra diximus; tunc enim contraria sententia negationem causalitatis realis accipit pro connotato complementem divinam volitionem, non producendi. Quo supposito, prædicta negatio causalitatis destinari potest ad finem prædestinationis, vel reprobationis, & destinari potest ad incarnationem, vel ad permitendum peccatum, & eligi potest ut medium ad ulteriorem finem, vel non ordinando illam ad alium finem. In omnibus his diversitatibus finium & intentionum, nihil reale diversum esse posset, in connotata negatione causalitatis: ergo distinctæ Dei intentiones diversorum finium reperiri possunt absque diversitate reali creaturarum. Quod totum foret evidentius in decreto, quo voluisset efficaciter ut potuit, nihil producere per totam æternitatem; quod eligere potuit, vel propter exercendum supremum dominium, vel præcise, quia nulla re creata indigebat. Alios autem plures fines intendere potuit per negationem cuiuslibet causalitatis usque ad iustans productionis mundi, & per negationem productionis infinitarum rerum, quæ nunquam sunt producenda.

Deinde sensus litteralis à Deo intentus in singulis locis scripturæ potui esse varius, & multiplex, manentibus eisdem verbis, eademque revelatione Dei quoad totam realem entitatem. Similiterque Mystica significatio legalium figurarum, & operum Christi Domini per Spiritum sanctum intenta varia, & multiplex potuit esse, manentibus figuris, & operibus absque vlla reali diversitate. Potuit ergo Deus distinctas significationes intendere absque vlla diversitate creaturarum. Nisi forte dicas, impossibile fuisse Deum non intendisse quoslibet sensus possibiles, & excogitabiles ab expositioribus; quod alienum foret à veritate, & à mente omnium expositorum eligentium unum sensum alio reiecto, & unam significationem mysticam alia reiecta.

SVBSECTIO IV.

Ex libero inefficaci actu divina voluntatis oppugnat sententia adversariorum.

PRIMO quia Deus inefficaci voluntate vult omnes homines salvos fieri, ipsisque quantum est ex se vult conferre gloriam æternam: sed ex vi huius voluntatis nulla fit mutatio intrinseca physica in gloria, & hæc voluntas est libera, in Deo: ergo ex vi decreti liberi non datur necessario mutatio physica intrinseca in creaturis, ad quas terminatur. Maior est certa, & pater primo ex illo *Ezech. 18.* Nunquid voluntatis meæ est mors impij. Dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? & in fine capituli [quia nolo mortem morientis dicit dominus, revertimini, & vivite]

V v vite]

vite. [Deinde cap. 33. hæc habet idem Propheta: sic loquuti estis dicentes, iniquitates nostras, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis tabescimus omnes; quomodo ergo vivere poterimus viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuatur, conuertimini, & conuertimini, & quare moriemini.] Quibus verbis absoute testatur Dei voluntas, qua vult omnium hominum salutem, etiam infidelium & obstinatorum, seu damnatorum; ad quod perpendenda est illa particula, vt conuertatur à via sua & viuatur, in qua conuersio, & æqualis vita, & non sola potentia conuertimini, conuertimini, sicut præcedens non ad potentiam sed ad ipsam actum extorquendum irrogatur: cum tamen eadem foret miserorum irrisio crudelissima, si aliunde præcipiat Deus quantum ex se est, habere quod puniat æterna morte, & eo sine procurat media permittendi finalem impenitentiam.

279 Dices his verbis solum contineri quandam declarationem diuinæ voluntatis, & non promissionem nostræ salutis.

280 Sed contra primo, quia hic solum intendimus probare dari in Deo, voluntatem in efficacem circa salutem hominum: ergo si hic declaratur talis voluntas cum veritate, & certitudine per vos; manifeste sequitur dari in Deo talem voluntatem.

281 Secundo contra; quia in his verbis contineri promissione salutis nostræ aduertit celestinus primus episcopus. 2. ad Episcopos Gallie cap. 2. dicens: [cum deus ad subueniendum sit paratissimus, & inuitans ad penitentiam, sic promittat peccatori, iniquis; quæcunque die ingenuerit peccator, peccata eius non imputabuntur ei, & iterum, nolo mortem peccatoris, sed tantum conuertatur & viuatur; salutem homini admittit qui mortis tempore penitentiam denegauerit.] Promittit ergo deus, se fore semper ad subueniendum paratissimum, ita vt peccator actualiter conuertatur, & viuatur quantum est ex parte dei, si per hominum non steterit.

282 Secundo probatur verbis *Matth. 23.* [quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluit:] ubi Hilarius *suo can. 24. fine* [frequenter inquit] congregare illos voluit prædicationibus Prophetarum sed frustra hunc impendit affectum, & in calum tanquam gallina congregans pullos suos continere eos sub alis suis voluit; terrena videlicet, nunc, & domestica avis factus quodam corporis sui, tanquam alarum operimento calorem, vt pullos suis vitæ immortalis indulgens, & involatum velut in nouam generationem producat. & post pauca [huius igitur familiaris, ac pæne terrenæ avis more congregare eos intra se voluit; vt qui conditione nascendi editi iam fuissent; nunc alterius generationis ortu, & calore confortantis renati in cæleste regnum tanquam pennatis corporibus euolarent. Quod quia noluerunt, domus eorum vacua, & deserta relinqueretur idest indigni habitatione spiritus sancti erunt.] Nihil itaque deficit ex parte diuinæ voluntatis, vt sub alas actualiter congregentur, sola voluntas resistit humana. Idem claris ex hoc testimonio colligit Chrysostomus. *hom. 9. de laudibus Pauli, in fine* cuius verba referemus *sect. 5. num. 7.*

283 Tertio Probatur ex illo *Matth. 18. ubi*: [sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pucillis istis:] ubi Hieronimus. [quotiescunque perierit aliquis ex pucillis, non voluntate Patris perit] clarius D. Thomas in

proprio commentario ait: [minus dicit, & plus significat, quia voluntas eius est vt saluentur]; id quod manifeste deducitur ex superiori contextu; illa namque voluntas cælestis Patris traditur à Christo Domino, tanquam conclusio collecta ex Parabola de centum ouibus, & vna earum errante. Cui proinde subiungit præceptum de correptione fraterna, vt omnes cooperentur, quantum in ipsis est prædictæ Dei voluntati.

Sed efficacius omnibus his probatur ex verbis 284 Pauli 1. ad Timotheum, cap. 2. ubi: [qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.] In quibus verbis vt optime notauit P. Heriz primo dubium non est in illa particula, vult, significari actum liberum Dei secundo dubium non est in illa particula omnes homines, significare hominum pluralitatem.

Dubitatio autem duplex potest esse; prima erga obiectum illius actus liberi, secunda erga hominum vniuersitatem, an de singulis sigillatim verum sit, Deum ipsis velle obiectum bonum per actum liberum voluit; in vtraque dubitatione pro certo habeo & obiectum volitum esse gloriam, & homines, quibus illam vult, esse omnes sigillatim nullo excepto; prima pars patet manifeste ex contextu Pauli. Nam velle saluum fieri est velle salutem in proprietate sermonis, non vero velle auxilia sufficientia ad salutem; ergo qui affirmat, obiectum eius actus liberi esse gloriam cum omni proprietate recinet mentem Pauli non vero qui affirmat, auxilia sufficientia esse tantum obiectum quoniam illa solum metaphoricè & per tropum sunt salus; quia nimirum possunt esse causa salutis; atqui ex Augustino lib. 3. de doctrina christiana cap. 10. docemur verba scripturæ cum omni rigore, & proprietate intelligere, cum non cogimur ad absurdum ex attenta proprietate: ergo affirmari non debet, obiectum huius actus liberi esse auxilia sufficientia tantum, quæ metaphoricè sunt salus hominis; quod vero ex eo obiecto nullum sequatur absurdum in progressu faciemus manifestum.

Secundo id probatur; nam si Deus nollet salutem 285 hominum sed tantum significare se velle ratione præparationis mediatorum non obsecraret Apollonius pro omnium salute vota facere: Probo hæc consequentiam, quoniam si in Deo non esset voluntas gloriæ, per quam serio & ex animo exoptaret hominum salutem, Paulus non contineret solidum, atque reale motuum orandi pro omnibus, sed solum significatum, & simulatum. Tertio probatur ex illa Paulina causali; vnus enim Deus, in qua ideo allegat Dei vnitatem vt moneat nos fundere preces vt intelligamus vnum Deum esse omnium hominum creatorem, promissorem, & Patrem, qui vt summe bonus homines suos quasi filios amat, ac saluos esse cupit, quantum est ex parte sua. Qua ratione optime nos mouet ad fundendum preces pro singulis hominibus, nullo excepto; quod si in Deo non esset desiderium liberum, quo vere euperet salutem hominum, non proponeret solidum motuum sed inane.

Tertio ex alia causali vnus, & mediator Dei, & hominum; ex qua ita formatur ratio, Deus ita cupit nostram salutem, vt pro eius conuersione filium suum mediatorem nobis donauerit: ne debetis fidenter preces fundere ad Deum ergo debetis fidenter preces fundere ad Deum tam bonum, qui vt consequamini salutem, præordinavit Filij sui incarnationem. Vnde ex

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 143

ex hoc contextu convicti graviores Theologi, atque Pauli expositores in hanc mentem conspirarunt; ita Benedictus Iustinianus gravissimus commentator epistolarum Pauli; ita Cornelius à Lapide eruditus & subtilis, P. Salmeron *disp. 5. in 1. epistol. ad Thimot. §. est ergo quadam voluntas: Estius in hunc locum*, & Stapleton *in epist. Pauli ad Roman. cap. 9. num. 19.* Ita quoque nostri Scholastici Pater Molina elegantissime *in hunc articulum. 6. & in concordia. q. 14. art. 13. disput. 10. & disp. 23. membro. 2.* P. Suarez *1. p. lib. 4. de predestinatione. lib. 1. & 2.* P. Lessius *de auxiliis. disp. de prædestin. & reprobatione Angelorum & hominum. sect. 6. in 1. assert.* P. Vazquez. *1. p. disp. 85. cap. 2. 3. & 4.* P. Salas *tom. 2. in 1. 2. tract. 11. disp. 2. sect. 3. post. tertiam conclusionem.* P. Arrubal *disp. 50. cap. 2.* Mitto omnes recentiores Thomistas, quoniam ab his Doctoribus res hæc nervosè confirmata, & copiose locupletata est. Expendat lector quamnam sit maioris momenti auctoritas; an horum præclarissimorum Doctorum qui magnam in Paulo ex professo operam posuerunt, an eorum antiquorum scholasticorum quos pro se adducit is fuscator eius opinionis, qui obiter, & transeunter rem tractarunt, sed nec hoc iure concedi debet oppositæ parti, quoniam, ut dicimus *infra. num. 70.* ea quoque auctoritas à nobis infingenda est ubi videbimus merito P. Molinam dixisse eam opinionem esse auctoritate destitutam.

287 Hoc idem docent D. Damascenus. *lib. 1. de fide. cap. 29.* explicans verba Pauli supra adducta, ibi: [quin illud quoque nos ne fugiat Deum, ut bonitate præstantem primarie quidem omnes homines servari, ac regni sui compotes esse velle; nec enim supplicij, ac cruciatus causa, verum ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit.] Quid clarius, & evidentius; prosequitur ipse Damascenus, [neque latendum est, o eum præcedenter velle omnes salvari, & regnum eius consequi, nec enim ad puniendum nos plasnavit, sed ut efficit bonitatis suæ participes.] In quibus verbis per illam particulam *præcedenter*, significat voluntatem antecedentem Dei, seu inefficacem terminatam ad nostram salutem, & regnum æternum; Clarius tamen ipse Damascenus sic loquitur *in Dialogo contra Manich. pag. penult.* ibi: [neque enim cur sceleratus penas luat iudex causa est, etiamsi ipse volens sententiam ferat; verum is, qui facinus admisit, poenam sibi ipsi accersit; iudex autem iustitiæ causa est, iustitiam porro bonam rem esse constat; quamvis enim volens iudicat, non tamen primarie voluntatis ratione iudicat, sed secundaria: primarie namque Deus ex seipso vult omnes homines salvos fieri, atque ad veritatis agnitionem venire; cum autem peccamus vilitatis nostræ causa, nos castigari vult. Ita primaria Dei voluntas bonitatis est, secundaria iustitiæ.] Ergo secundaria, seu consequentis voluntatis obiectum est tale, ut non sit bonum, neque amabile ex ipso Deo, sed occasione earum rerum, quæ contingunt. Contingentia vero sic esse libera, ut non sint necessaria, neque ad vnam partem determinata Damascenus sæpe notat.

288 Ratio autem huius à priori est; quia maxima honestas datur in volitione mediorum ex intentione finis honesti: ergo volitioni divinæ amorem huius honesti obiecti negare non debemus; consequentia hæc patet, quia sicut scientia Dei propter infinitatem in ratione scientiæ cognoscit omne cognoscibile, ita volitio divina amat omne ama-

bile, in quo nulla est imperfectio: ergo negandum non est dari illam in Deo. Antecedens manifestum est; nam producere creaturas, ut glorificent creatorem, maxime honestum est; ergo non potest non à divina volitione amari; præcipue quia hoc univrsum propter hominem, & homo propter beatitudinem condita sunt: ergo.

Iste autem amor non potest esse efficax, quia 289 efficax voluntas Dei semper impletur ac consequitur id, quod vult, sed gloria omnium hominum nullo excepto, non mandatur executioni, licet velit Deus quantum est ex se, ut executioni mandetur: ergo talis voluntas gloriæ omnium hominum non est efficax, sed inefficax; cuius inefficacia sic explicatur; quia affectus, qui dicitur inefficax respectu alicuius, ut est volitio talis finis, & ex qua operatur amans illum, ita se habet, ut ex vi illius non consequatur finem ut in calu nostro contingit respectu Dei; quod non est propter defectum in volitione, aut in medio appposito, sed propter defectum creaturæ liberæ; cum vero Deus sic operatur ex intentione finis, & simul ex electione mediij apppositi, semper causalitas distincta est propter essentialem ordinem, quem habet & ad intentionem inefficacem, & ad electionem ab ea, qua produceret, si Deus ex unico tantum ex illis actibus operaretur; in quo calu distinguenda est duplex voluntas in Deo, alia est intentio inefficax finis, seu gloriæ, alia electio efficax: hæc vero volitiones distinguuntur à nobis per obiecta; nam prior comparatur ad gloriam, & beatitudinem; posterior ad auxilia quæ sunt medium ad talem finem: quia vero obiectum electionis executioni mandatur, futurum que redditur ab æterno efficax volitio dicitur, nam absolute vult Deus tribuere plura auxilia congrua, & innumera sufficientia, ut videre est in reprobis, quibus Deus de facto concessit in vita auxilia congrua plura, & innumera sufficientia ex intentione antecedenti dandi omnibus gloriam, idest quia Deus quantum est ex se volebat omnes homines salvos fieri, etiam reprobos, elegit efficaciter alio decreto talia media, quibus si vellet reprobi cooperari in gratia discederent, & compararent beatitudinem; quia vero talis electio fuit causa, ut auxilia illa ex possibilitate transirent ad futuritionem ab æterno, ad actualitatem in tempore, ideo vocatur efficax.

Cum autem ex alia parte obiectum intentionis v. g. gloria omnium hominum nunquam sit 290 exiturum, neque unquam transivit ad esse futurum, sed potius absolute relinquendum sit in statu possibilitatis, ideo inefficax dicitur talis intentio, ut distinguitur ab electione.

Dices, talem intentionem non extendi ad omnes 291 homines, etiam reprobos, sed solum ad prædestinatos, cuius gloria futura fuit ab æterno, & existit in tempore, ac proinde esse efficacem, & non inefficacem, quia in deo nulla datur voluntas inefficax: illa autem particula omnes homines, non debet intelligi ita univrsaliter, ut loquatur etiam de reprobis, sed solum ita debet explicari, ut ex omnibus aliqui amentur ad beatitudinem, videlicet, qui de facto consequuntur illam, eo modo, quo dicitur, omne animal fuisse in arca Noë.

Sed hæc explicatio est aperte, & immediate 292 opposita contra sanctos Patres, & præcipue contra D. Chrysostomum *homil. 9. de laudibus D. Pauli. tom. 3. in fine*, ubi sic ait: [ipse quidem vult omnes salvos fieri, at non omnium voluntas eius voluntati obsequitur, neque ab eo aliquis

cogitur, vnde & ad Ierusalem sic dicit, Ierusalem, Ierusalem quoties volui congregare filios tuos & noluiti; vides quod Dominus saluate nos vult, nos autem quia nos ei non adiungimus, maneamus in interitū; Deus autem paratus est ad saluandum hominem non in voluntarium, neque non volentem.] Ecce quomodo D. Chrysostom. his verbis aperte docet, omnes homines Deum velle saluare, etiam reprobos, & non stare hoc ex parte dei, sed potius ex voluntate ipsorum, qui nolunt tali voluntati cooperari: vnde talis voluntas, quæ executioni non mandatur propter culpam eorum, non potest esse efficax, sed inefficax.

293 Audiamus Augustinum, lib. de spiritu, & litter. ad Marcel. capite 33. vbi his verbis mirifice hanc veritatem declarat: [vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male vtentes iustissime iudicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem dei faciunt; cum eius Euangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno, & summo bono multisque pœnalibus implicari experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt.] Vbi aperte D. Augustinus docet, contra voluntatem dei facere reprobos, qui non credunt, neque saluantur propter sua scelera: ergo ex Augustino datur voluntas in deo, qua vult, damnatos bene operari vt talibus operibus vitam æternam consequantur; sed hæc voluntas non potest esse efficax, alias executioni mandaretur & impleteretur ad vnguem; quia nemo est, qui possit resistere voluntati eius; sed hæc voluntas non impletur, sed potius ei resistit peccator, & oppositum illius executioni mandat ipse: ergo talis voluntas est inefficax quæ omnia P. Prosper fidelissimus discipulus Augustini his verbis docet, lib. ad capitula Gallorum sentent. 8. [Item qui dicit quod non omnes velit deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inexcrutabilis gratiæ dei; qui & omnes vult saluos fieri, atque in agnitionem venire veritatis, & voluntatis suæ propositum in eis implet quos præcitos prædestinauit.

Ecce quomodo D. Prosper reprehendit coarctantes vniuersalitatem verborum Pauli ad certum numerum hominum, asseritque durius loqui qui ita coarctat diuinæ misericordiæ largitatem, quam decet tantam magnificentiam, vnde lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 19. explicans locum hunc Pauli sic ait: [non oportet, nisi perpetuum, æternumque sentiri secundum eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus, vt & qui exhortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur, & qui eius lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino gloriantur.] Ecce in his verbis illud vult omnes saluos fieri, etiam pertinere docet ad exortes gratiæ comprehendendo reprobos, & capite 23. explicans eundem locum etiam vult in ea sententia paruos comprehensos. [Non irreligiose inquis, arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus.] Quis autem dicat in his verbis non comprehendi plusquam prædestinatos, & cap. 25. sic ait: [siue igitur nouissima contemplantur sæcula, siue prima, seu media rationabi-

liter, & pie creditur, omnes homines saluos fieri deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliunde monstratur, quam de his beneficiis, eaque prouidentia Dei, quam vniuersis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.] Ecce Prosper egregie colligit ex beneficiis gratiæ indifferenter omnibus impensis voluntatem generalem Dei omnes saluos facienti; nam vt illa ex sua natura ordinatur ad eum finem, ita ex voluntate Dei.

De Chrysostomo mihi dubitare non licet, in nostra esse sententia primum, quia hom. 1. in epist. ad Ephes. ita ait: [secundum propositum voluntatis suæ perinde est, quia vehementer velle fieri, hoc ipse erat desiderium,] & infra, [hoc est quod mirum in modum cupit vehementer, desiderat nostram ipsorum salutem.] Nihil clarius dici potuit, & homil. 7. in 1. epist. Pauli ad Thimor. explicans nostra verba, [imitare (inquit) Deum tuum; nam si omnes ille vult saluos fieri, merito pro omnibus operatur, nihil desiderat ex his, quæ apud nos sunt, nisi nostram salutem, hanc vehementer vult, &c.] Nihil euidentius possem ego ipse excogitare ad meam sententiam confirmandam; nam ideo ait Chrysostomus, orandum esse pro omnibus, etiam reprobis, quia omnes etiam reprobos vult Deus saluos fieri.

Nec quæ ab aduersariis expenduntur pro sua sententia alienius momenti sunt; quia licet concedamus, Deum non vehementer cupere salutem omnium etiam reproborum; nihilominus non potest dubitari, quod saltem inefficaciter amet, & desideret salutem reproborum; vt euidenter patet ex testimoniis Sanctorum Patrum à nobis adductis, quod clarius liquet ex verbis Augustini ad articulos sibi falso impositos; ibi: [sincerissime credendum est atque profitendum; Deum velle vt omnes homines salui fiant; siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, sollicite præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi saluantur, saluantis est donum.] Quid clarius & expressius, quod etiam docuerat ante Cyprianus de Oratione Dominica, dum interpretatur petitionem tertiam, fiat voluntas tua, ibi: [potest etiam sic intelligi, vt quoniam mandat dominus, inimicos diligere & pro his quoque qui nos persequuntur, orare, petamus & pro illis, qui adhuc terra sunt & necdum cœlestes esse caperunt, vt circa illos voluntas Dei fiat merito & nos qui esse debemus deo Patri similes, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos & pluit super iustos, & iniustos; sic Christo monente, oramus & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus, vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cœlestes ex aqua, & spiritu nati,] fidei-
lium igitur oratio, quam Christus Dominus imperauit fieri pro salute omnium, etiam infidelium probat voluntatem Dei conferendi salutem bonis, & malis quantum ex se est, hæc enim voluntas dei est exemplar, & causa efficiens istius præcepti.

Ergo saltem simplici complacencia, & inefficaciter Deus vult salutem omnium hominum etiam damnandorum; quia Deus vult eorum salutem; atque non datur medium inter voluntatem efficacem, & inefficacem: ergo si non vult efficaciter per vos, saltem erit inefficax voluntas saluandi omnes; quod expresse docuit Ignatius epist. 6. ad Philadel. non procul à principio his verbis: [Oportet se-
parari ab infidelibus, & monere eos, & ad peni-
tenciam

tentiam prouocare; si forte audiant, & acquiescant. Amator enim hominum & Deus noster, & vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Propter quod & solem oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos; cuius utilitatis etiam Dominus volens esse imitatores dicit, estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est.] Vide generalitatem diuinæ voluntatis ad omnes homines, unde nascitur generalis obligatio exhortandi omnes, & orandi pro omnibus. Quod autem hæc deat propter penitentiam omnibus hominibus, & de quibuscunque peccatis possibilem miserationem Dei, clarius constat ex eodem Ignatio *epistol. ad Smyrneses, inter medium, & finem*, dicente: [omnia quæcunque agitis, & facitis iam mirabilia sunt, vt corrigamus nos in Deo cum tempus habemus penitendi. Quod enim incertum est, non habet confessionem;] nimirum tempus mortis secundum illud *Psalm. 6*: [quia non est in morte, qui memor sit tui.]

297 Irenæus *libro quarto, capite 71* ait: [vis a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, & propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus, posuit autem in homine potestatem electionis.] Ponderat primo, bonam sententiam Deo semper adesse, quantum ex se est, vt velit, ac desideret omnibus bonum; secundo inde prouenit, etiam bonum consilium dare omnibus. Deinde iterum, atque iterum Irenæus repetit, Deum omnibus dare bonum.

298 Ephrem *Circa serm. de vita religiosa, atque monastica pag. 6*, sic ait: [Deus animarum nostrarum vulnera sanat spiritusque a nobis mirabiliter suffert; omnes enim nos saluare cupit, & omnes regni sui hæredes, & possessores fieri desiderat, vult etiam voluntatem nostram, atque propositum, à se laudari, certis quanto desiderio salutem nostram sitiat, quanto opere nos saluare cupiat, qui pro omnibus operandum esse præcipit.]

299 Dices, quod cum nesciamus, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic etiam affecti debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri & oremus pro omnibus, vt salui fiant, quod aliter contingeret si certo cognosceremus, qui essent reprobi, & qui prædestinati. tunc enim solum deberemus orare pro prædestinatis;

300 Sed contra, quia si de alicuius hominis reprobatione nobis certo constaret pro illo non esset ita orandum, vt illius salus peteretur à Deo per desiderium prorsus inefficax, & petitionem prorsus absolutam adhuc tamen orandum esset petendo illius salutem per desiderium, quantum est ex parte nostra omnino efficax, & petitionem quantum est ex parte nostra omnino efficacem; cæterum simpliciter inefficacem, quoniam ex parte illius reprobi propter illius liberam maliciam defutura erat efficacia, licet nihil ex parte nostræ voluntatis, aut charitatis deficeret.

301 Probat hoc exemplo Christi Domini, qui *Lucæ 23*, pro omnibus crucifigentibus orauit; quorum his, qui prædestinati erant efficaci voluntate desiderauit, obtinuitque penitentiam, gratiam, & beatitudinem, cæteris autem efficaci voluntate desiderauit, obtinuitque remedia, quæcunque simpliciter necessaria, vt v.

I. P. Tom. II.

niam actualiter consequerentur, nisi per ipsos statueret, unde Hieronymus ad illa verba *Isaia 27*, [idcirco super hoc dimittetur iniquitas Domui Iacob. Propter hoc (inquit) id est, propter Christi orationem auferetur peccatum eius, si voluerit agere penitentiam; & merebitur benedictionem Dei qui sibi maledictionem fuerat imprecatus] dicens: sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Theophilactus *Luc. 23*, ad illa verba: [Pater remitte eis, nesciunt enim quid faciunt,] ait: [& utique dimissum fuisset eis peccatum, nisi deinceps in incredulitate mansissent,] quare supponit illis possibile fuisse actualiter obtinere veniam, si vellent. Idem colligitur ex Cypriano in sermone de Passione, inter medium & finem, dicente, Christum Dominum in cruce pendente orando impetrasse supplicij dilationem, & penitentiae locum, & petisse, vt aperirentur oculi eorum. Et ex sequenti contextu constat Cyprianum agere etiam de illis qui obstinati permanferunt in incredulitate. Itaque ex his omnibus manifeste colligitur, Christum pro omnibus etiam reprobis orasse, etiam si sciret, qui essent reprobi, & qui prædestinati, quia ipse Christus, qui pro omnibus orabat, sciebat, Deum non solum salutem prædestinatorum velle, vt his verbis docuit S. Clemens Romanus *libro 1. constitum. apostolicar. cap. 59*, ibi: [Nos ergo qui digni facti sumus vt essemus testes aduentus ipsius cum Iacobo fratre Domini, & aliis Septuaginta duobus, & septem diaconis eius ex ore domini nostri Iesu Christi adiuuimus, & perfecte scientes dicimus, quæ sit voluntas Dei bona, placens, & perfecta per Iesum Christum nobis demonstrata, vt nullus intreat; sed vniuersi homines vniuersi sententia credentes ei & vniuersim laudem ferentes in eum viuant in æternum.] In his verbis Clemens clare tradit tanquam acceptam ex ore domini nostri Iesu Christi Deum velle vt nullus hominum intreat, & quod vniuersi viuant in æternum; cuius euident argumentum est, Christum non solum pro prædestinatis, sed etiam pro reprobis sanguinem fuisse; ergo, certissimum est dari actum inefficacem in Deo; etenim cum actum liberum Theologi omnes diuidant in efficacem, & in inefficacem non solum in creaturis, sed etiam in diuinis eligi debet opinio, quæ hæc membra illæsa custodiat, non quæ euertat; quod si ex ea opinione efficeretur, omnem actum inefficacem liberum à diuina libertate tollendum esse, potius deferenda foret opinio, ex qua hoc absurdum inferretur, quam audacter pronunciare, nullum esse actum liberum inefficacem in Deo; nam quoties Deus vocat peccatorem, intendit conuersionem, desiderat, & amat penitentiam eius, vt expresse docuit Apostolus Petrus *epistol. 2. cap. 3*, ibi: [deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti.] Salus vulgare est illud Ezechielis, *c. 18*,] nunquid voluntatis meæ est mors impij dicit dominus deus, & non magis vt conuertatur à viis suis.] Sed quoties Deus vocat peccatorem ipse non agit penitentiam, quia aliquando agit, aliquando non; ergo negari non debet intentio quo vocatus non agit penitentiam, intentio penitentiae inefficax libera.

Minor illa prima, & præcipua, in qua est tota difficultas, sic demonstratur, inquirendo ab aduersariis quam specialem mutationem realem intrinsecam faciat Deus in hominem per

X x

tatem

talem actum inefficacem, nam si nullam efficit, dabitur iam actus liber sine mutatione intrinseca, ex quo arguimus, dari posse actum efficacem sine mutatione intrinseca physica. Nec potest specialis repugnantia in illa assignari; imo facilius in illa intelligitur, quia intentio quatenus distinguitur ab imperio voluntatis circa omnipotentiam, ratione cuius omnipotentia influit in existencias rerum, & datur illa mutatio nullam aliam mutationem facit in obiecto, præter logicum transitum de statu possibilitatis ad futuritionis statum, talis autem transitus denominatio solum extrinseca est, ut late probauimus in metaphysica; unde mutatio intrinseca non datur ex vi illius actus; si vero aliqua specialis responderet illi actui, signetur quamquam illa sit; ego vero ostendo nullam esse posse; quia vel illud, quod fit per hanc intentionem est aliqua mutatio pertinet ad ordinem naturæ, & hoc non, quia eadem omnino natura rationalis Deus omnibus proprietatibus sibi connaturalibus posset à Deo creati sine tali intentione; sed tantum ut frueretur naturali fine. Vel illa mutatio est supernaturalis; & hæc in primis non semper fit in omni homine ordinato ad illum finem; multi enim homines nunc procreantur à Deo, in quibus nulla mutatio realis supernaturalis fit in toto tempore vitæ, ut patet in multis paruulis; neque est incredibile idem contingere in multis adultis infidelibus. Et deinde quando talis mutatio fit, non fit proxime, & immediate per illam intentionem; nam illa intentio est generalis ex se, & eadem respectu omnium, & mutatio gratiæ non est eadem respectu omnium: fit ergo in vnoquoque non per voluntatem dandi hanc, vel illam gratiam ut iidem Auctores fatentur, quæ voluntas sufficeret ad totam illam mutationem realem faciendam, si sola necessitas ipsius effectus secundum se expectetur: ergo illi intentioni nulla responderet in effectu specialis mutatio realis, quæ ex vi illius immediate resulteret.

Dices, actum illum non esse liberum, sed naturalem: sed hoc ut existimo, dici non potest; tum quia nulla creatura necessario debet ordinari à Deo ad finem supernaturalem. Tum etiam quia cum Paulus ait, Deum velle omnium hominum salutem, commendat Dei beneficium, & liberum erga homines amorem ut omnes Sancti intelligunt, & tamen loquitur de voluntate antecedenti non omnino efficaci. Tum denique quia licet illa intentio non sit absoluta de fine, tamen ex vi illius Deus vult conferre media sufficientia ad talem finem, & ita quantum est ex se vult dare illum finem: ergo non necessario, sed libere id vult; habet ergo Deus voluntatem liberam circa finem, ex qua nulla resultat specialis mutatio distincta ab ea, quæ fit per voluntatem conferendi media.

303 Dices, intentionem illam inefficacem gloriæ habere sibi correspondentem mutationem intrinsecam in creatura, quæ mutatio, licet non fiat in ipsa gloria, aut in homine respectu illius, fieri tamen mutationem in mediis ad gloriam, & in homine respectu mediorum, quæ mutatio, cum vnica sit, complet vtrumque actum liberum, intentionem videlicet & electionem.

304 Sed contra manifeste, quia impossibile est, quod duo actus distincti inter se compleantur,

& ultimo constituentur per vnum & idem constitutum; sed intentio, & electio sunt duo actus liberi Dei; ergo non possunt ultimo constitui, & compleri per vnica mutationem extrinsecam. Maior est certa; quia impossibile est, quod duæ substantiæ completæ distinctæ inter se vnica indiuiduatione compleantur ultimo. Item impossibile est, quod duæ actiones specie distinctæ ad eundem specie terminum formaliter ordinentur, & ratio est manifesta, quia vltimum constitutum alicuius in ea ratione qua vltimum est, est distinctum à quolibet alio: sed vnum, & idem constitutum non potest esse distinctum duorum, quæ conueniunt in constitutione per illud; quia ea, quæ distinguuntur differunt, & non conueniunt in ea ratione formalissima, qua distinguuntur; & ea, quæ habent vnum, & idem constitutum, non differunt, sed potius conueniunt, imo in illo identificantur; verbi gratia, si Deus poneret vnica formam in duplici materia, talia composita non differrent formaliter, sed potius essent vnum formaliter, quia constitutum formale esset vnum, & idem in duobus illis, distinguerentur autem materialiter, quia materie essent diuersæ inter se, unde si materia esset eadem, & forma esset eadem, nec materialiter, nec formaliter distinguerentur; quia ad hoc ut aliquid distinguatur ab alio, debet habere aliquid prædicatum, quod aliud non habet. Minor est clara: quia intentio, & electio nostro modo intelligendi se habent tanquam causa, & effectus; ideo enim datur electio mediorum, quia datur intentio finis; unde prius intenditur finis, quam eligantur media; sed actus, qui se habent tanquam prius, & posterius, tanquam causa, & effectus, tanquam fons, & rivus distinguuntur inter se: ergo intentio finis, & electio mediorum distinguuntur.

Deinde; quia actus distinguuntur penes obiecta, sed intentio habet pro obiecto gloriam, & electio habet pro obiecto media, quæ distinguuntur à gloria; sicut gloria distinguitur à meritis, gloriam enim solum Deus tribuit; merita autem proficiuntur ab homine libere, & meritorie operante: ergo electio, & intentio distinguuntur inter se.

306 Vrgetur, quia si mutatio illa corresponderet intentioni formaliter, intentio iam non esset inefficax, sed efficax. Patet hoc, quia ille est actus efficax, cui correspondet effectus à parte rei, quia efficax dicitur ab efficiendo; unde in mea sententia, si ex vi intentionis gloriæ, gloria quæ est obiectum illius transiret de statu possibilitatis ad actualitatem, talis intentio esset efficax; quia verè efficeret aliquid sibi correspondens, sed per vos illa intentio habet effectum sibi correspondentem, existentem, & futurum: ergo est efficax talis intentio, & non inefficax.

Præterea, quia ideo electio per vos est efficax, quia completur per mutationem illam quæ in re datur, sed etiam eadem mutatio correspondet eidem intentioni: ergo talis intentio est efficax, sicut electio, quia vbi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quia effectus formalis: sed rota ratio, ob quam electio est efficax, est quia illi correspondet effectus in re ipsa faciendus: sed idem effectus correspondet per vos intentioni, sicut electioni: ergo sicut electio est efficax, etiam illa intentio;

tio; sed vos ipsi dicitis, & latissime probatis, tractat. 2. disputatione 17. capite tertio, per totum, intentionem gloriæ esse inefficacem circa omnes homines, tam reprobos, quam prædestinatos, hoc est intentionem illam vniuersalem: ergo manifeste sequitur, tali intentioni non correspondere mutationem illam, sed solum electioni.

308 Vergetur amplius; quia illa intentio propriissime, & formalissime quatenus intentio est primario non est ad media, sed ad gloriam; unde per vos est ante omnia præuisa media; quare tantum indirecte, aut solum virtualiter respicit illa. Sicut & contra electio directe, ac formaliter primario non respicit finem, sed media: ergo mutatio, quam dicitis correspondere intentioni, non est mutatio in obiecto primario formali, ac per se intentionis: ergo illa mutatio non complet primario, ac per se intentionem; atqui intentio quatenus intentio primario, & formaliter, & ut distinguitur ab electione, & formalissime quatenus concepta in ordine ad gloriam, est actus liber completus & adequatus: ergo actus liber formalissime, & per se non indiget, ut sit, mutatione extrinseca in obiecto proprio facta.

309 Ex quo sic euidenter argumentor; actus liber Dei constituitur in esse completi per se, ac formalissime, non in ordine ad obiectum virtuale, sed in ordine ad obiectum formale primarium, & per se; sed in ordine ad obiectum primarium saluatur sine mutatione: ergo primario in esse completi non petit mutationem. Ex quo amplius colligo, etiam in ordine ad obiectum virtuale, & indirectum non indigere mutatione; quia si talis mutatio non requiritur, ad complendum per se, ac formaliter actum liberum, nullo modo erit necessaria; sed sine tali mutatione completus est actus liber: ergo ad complementum illius non requiritur talis mutatio. Minor hæc sic demonstratur; quia intentio, ut intentio non completur in esse intentionis per electionem, nec per obiectum electionis, quia intentio completissima est per suam tendentiam in finem, quatenus distinguitur finis à medijs, quia intentio per tendentiam ad finem, & quatenus talis est, constituitur in esse causæ completæ respectu electionis, & mediorum, quæ sunt obiecta electionis; motus enim amore finis eligo media; unde ratio totalis eligendi media, est finis amatus, seu intentus, & ideo est vera hæc causalis ideo eliguntur media, quia finis est intentus, & amatus; & contra vero non bene valet; ideo amatur, & intenditur finis, quia eliguntur media; unde prior est intentio finis, quam electio mediorum; sed quod est prius non constituitur à posteriori; & quod est causa, non completur perfectum, sed potius quod est prius, completum est ante posterius, & causa ut causa prioritate naturæ est completa ante effectum: ergo intentio finis ex vi propriæ tendentiæ ad finem est completus, ac pene constitutus actus, priusquam detur electio mediorum, & media ex vi talis electionis discernantur; sed mutatio physica in creatura est ordine electionis & in obiecto illius: ergo ordine intentionis, & in obiecto illius nulla datur mutatio physica; ergo intentio in ordine intentionis, & ut est prior ipsa electione, & ordine electionis absolute, ac simpliciter est completa sine ulla mutatione physica; atqui intentio in ordine intentionis est actus liber formalissime; ergo actus liber formalissime com-

L. P. Tom. II.

pletus, & plene constitutus non petit necessario, ac formaliter mutationem intrinsecam physicam in creatura; unde si actus intentionis in eo, quod proprium sibi per se, ac formale habet, scilicet in suo obiecto formali, & in sua tendentia saluatur sine mutatione, à fortiori saluabitur sine mutatione in eo, quod sibi non proprie, sed per accidens conuenit.

Ex quo manifeste colligitur, omnino posse dari intentionem sine mutatione illa; quia mutatio illa non conuenit per se intentioni, sed per accidens; quia res non potest saluari sine eo, quod per se requiritur ad propriam constitutionem, optime autem saluatur sine eo quod per accidens illi conuenit.

SUBSECTIO XVI.

Ex variis incommodis hæc veritas propugnatur, & oppugnatur sententia Aduersariorum.

310 **Q**uia si decretum liberum efficax Dei formaliter est necessaria entitas Dei simul cum extrinseca denominatione vel connotatione productionis futuræ ad extra, & idem est de diuina præscientia futurorum, sequitur euidenter, adhuc etiam in hoc tempore manere contingentem diuinam præscientiam & efficacem voluntatem rei nondum productæ; quapropter sicut adhuc est in statu contingentie peccare vel non peccare Antichristum, ita similiter adhuc in hoc tempore erit contingens, Deum præsciuisse futurum peccatum illius, & Deum voluisse illud permittere & voluisse damnari Antichristum, sequela sic probatur; quia scientia simplicis intelligentiæ & ipsa entitas Dei, seu complacentia necessaria omnium possibilium; supra quam cadit denominatio extrinseca, ut fiat decretum liberum secundum se, ac præcise considerata non potuerunt vnquam aliter se habere, nec aliter versari circa creaturas; solæ relationes rationis, seu denominationes extrinsecæ, vel connotationes potuerunt non fuisse (iuxta prædictam sententiam,) cum igitur eadem relationes, & denominationes producantur ab actionibus futuris, quæ sunt adhuc in statu contingentie, necessarium est, non minus contingentem esse nunc statum earum relationum, seu denominationum; & consequenter adhuc esse contingens, Deum non præsciuisse talenti actionem futuram, aut non voluisse facere bonum vel permittere malum, quod est futurum, quam rationem fufus prosequuti sumus, tomò præcedenti de scientia Dei, tota disputatione trigesima prima, præsertim sectione 4. & sequenti, demonstrantes iam nunc esse simpliciter necessariam & extra statum contingentie quamlibet præscientiam futurorum, & quamlibet liberam volitionem Dei; quemadmodum est iam extra statum contingentie cælos exiisse multis retro sæculis, licet adhuc eorum existentia perfectæ.

Secundo sequitur ex eodem absurdo, vanam & fictitiam esse certitudinem, immutabilitatem, & inuariabilitatē diuinæ præcientiæ futurorum, atque diuinæ volitionis liberæ, quin potius sicut operationes, quæ nondum fuerant, adhuc sunt